

DISSE^{51.}
DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA

DE RHACHITIDE

QVAM
SVMMO FAVENTE ARCHIATRO INDVLTV
ATQVE AVCTORITATE GRATIOSI ORDINIS
MEDICI IN INCLVTA ACADEMIA JULIA

PRÆSIDE

LAVRENTIO HEISTERO
MED. DOCT. ANATOM. PHYSIOL^G.
ET CHIRVRG. PROFESSOR. PVBL.

SVI ORDINIS DECANO
ITEMQVE ACADEMIÆ CÆSAREÆ REGIÆQVE
BEROLINENSIS COLLEGA

PATRONI ET PROMOTORIS OMNI HONORIS
CVLTV PROSEQVENDI

PRO LICENTIA
SVMMOS IN ARTE MEDICA HONORES
ET PRIVILEGIA DOCTORALIA
RITE IMPETRANDI

IN IVLEO MAIORI

PUBLICÆ DISQVISITIONI EXPONET
IOH. GEORG. DE BROKE

ALTENBURGENSIS.

D. III. AVGUST. A. R. S. c^llccxxv.
HORIS CONSVETIS.

HELMSTADII

TYPIS PAVLI DIETERICI SCHNORRII, ACAD. TYPOGR.

DE

RACHITIS

SUMMUS AVANTIA RACHITIS ET
TUTOR ACUTITATIS ET
MEDICINA MEDICAL ACCURATA

LARVENTIO HERISTRI

MED. DOCT. ANATOM. HYDRO

ET CHIRURG. PROFESSOR. PAVL.

ET ORPHEUS DILEXAN

ITEMVAE ACADEMIE OAKREE MEGIOT

PATRONATI ET TOMOTORIS OMNI HOMO

CATHY TROGASZANDI

PROFLIGINTIA

SUMMUS IN ARTE MEDICA HONOR

ET STYLALLEGIA DOCTORATI

IN UFFO MAIORI

TOH. GEGORG DE PROGR.

REVERENDA

ET LIVEL DITTATI SORCERER MEDICO ET

VIRIS
PRÆNOBILISSIMIS CONSULTISSIMIS
AMPLISSIMIS QVE
DN. IOHANNI DAVID
HERR
SERENISSIMI DVCIS SAXO-GOTHANI
CONSILIARIO ET PRÆFECTO
ALTENBURGENSI
PATRONO ATQVE AFFINI SVO
OBSERVANTER COLEND^O
NEC NON
DN. GEORGIO FRIDER.
DOEHLERO
SERENISSIMI DVCIS SAXO-GOTHANI
AB INTIMIORIBVS SECRETIS
PATRONO
ATQVE AVVNCVLO SVO
MVLTV^M
HONORANDO COLEND^O QVE
DISSERTATIONEM HANC IN AVGVRALEM MEDICAM
D. D. D.
IOH. GEORG. DE BROKE.

PRÆNOBILISSIMI
CONSULTISSIMI AMPLISSIMIQUE
VIRI,

A Liæ Vos curæ, aliæque occupationes destinent, quam ad res medicas oculum ut reflectatis. Res civiles Principisque negotia tractatis, quæ totos Vos occupant, nec sinunt distrahere mentem curasque, & alienis occupari. Neque tamen dubitavi Dissertationem inauguralem meam de Rhachiti-de Vobis inscribere, ea mente ac consilio, ut cultum Vobis studiumque approbarem meum. Singularem erga me Vestrum cognovi favorem ac voluntatem benevolam, quam ita, ut fas est, æstimavi, mihique propriam atque perpetuam opto. Primi hi fructus sunt artis medicæ, quos offerro, nec dum ita maturi, ut esse conveniebat, si probari debeant ab artis peritis; sed tamen, quæ Vestra benignitas est, benevole eos accipietis, & non tam ex eorum dignitate, quam offerentis animo æstimabis. Ego id semper daturus operam sum sedulus, ut in cultu amoreque erga Vos nemini facile cedam, Vestroque favore ac benevolentia non habear indignus. Dabam Helmstädi d. XXVI. Iul. MDCCXXV.

PRO-



PROOEMIVM.



Vmani corporis machina, quo magis artificiosa, quo eleganter perfectiorque a summo rerum conditore producta est, eo infirmior magisque corruptioni obnoxia existit, ex quo primi hominum fatores, perduelles Deo facti, in se fuosque nepotes mortalitatis legem deriuarunt. Eo enim ipso momento, quo formari coepimus, nostraque ponuntur fundamenta, & primae quasi ducuntur lineae, multa accedere solent, quae in lucem editos perpetuo deinceps comitantur, easdemque nobiscum nascendi & moriendi leges agnoscent. Etenim non intra se se folum & secum gerit quamplurimas morborum caussas; sed ab externis etiam caussis, quae ad vitam vitaeque conseruationem multum faciunt, ac necessariae sunt, labefactant, & destruitur. Has inter caussas externas, quae vitam nostram tam con-

6 DISSERTATIO IN AVGVRALIS

seruare, quam destruere aptae sunt, non naturales a medicis dictas, primum facile locum obtinent, aér, cibus, & potus. Haec tria non immerito dixeris materiam, quae corpus nostrum & conseruat ac nutrit; verum etiam destruit atque corruptit. Hoc jam pridem cognovit medicorum pater **HIPPOCRATES**, cum *Lib. de flatib.* §. 6. aéris pro vita conservanda summam necessitatem prolixius ostendat; & iterum in *Lib. de nat. hum.* §. 18. *Morbos*, inquit, *partim ex diæta, partim ex spiritu, quem attrahentes viuimus, fieri.* Et sane eadem benignior aéris temperies ac vietus ratio, quarum illam coeli benignitati, hanc moderatae vitae instituto debuerunt Aegyptii, effecerunt, vt rariores inter ipsos morbi regnarint; & vicissim eadem multis regionibus certorum causae morborum extiterunt. Morbi endemici hoc satis ostendunt: quippe qui ex aeris temperie, & a cibo & potu suis locis consuetis originem ducunt, & in incolis varios morbos, qui aliis in locis vel nunquam, vel raro audiuntur, producunt. Sic Polonis familiaris & endemius est morbus, quem *Plicam Polonica* appellant. Hispania & Neapolis *lue venerea* affligitur. In Hungaria *morbus*, a patria dictus *Hungaricus*, faecit, qui non raro Germanis ibi parauit coemeterium. Saxoniae inferiori locisque maritimis *Scorbutus* familiaris est; & magnae Britanniae gens saepissime *tabe* laborat. Permulti adhuc morbi nationibus atque regionibus communes addi possent, si institutum meum esset, de morbis endemis scribere, historiamue texere. Vnum aliquem morbum infantum in Angliae primum regio-

regionibus, ni fallor, ortum, & in Germaniam propagatum, RHACHITIDEM puto, in praesentia exhibere, paucisque exponere animus est: & licet iam varii hoc de argumento scriperint, dignum tamen esse, ut uberius excutiatitur, existimo. Quod vero, ut feliciter fiat, Deum Optimum Maximum supplicibus rogo precibus oroque.

I.

Infantum morbus est Rhachitis, veteribus, ut videtur, incognitus plane. Nam scripta eorum si consulamus, nullum ea nobis describunt morbum, qui hujus ideam perfectam, signa aut symptomata omnia, ac conditionem accurate referat. Magna Britannia autem, quae semper aliquid noui profert, quod de Africa dictum est olim, medio superioris seculi eum primum medicis in conspectum produxit, atque tanquam peculiarem morbum ob oculos posuit. Nam celeberrimus Anglorum medicus GLISSONIVS primus fuit, qui *de Rhachitide* tractatum in lucem edidit, fuisseque satis argumentum hoc siuum est prosecutus: refertque vir hic doctissimus, quod in Occidentalibus Angliae partibus primum coepit, postea vero per totam fere Angliam fuerit dispersus; rarius tamen tunc adhuc in septentrionalibus insulae regionibus fit obseruatus. Vti vero res iis principiis, quibus coeperunt, confistere non solent; ita morbus hic alias quoque tandem regiones inuasit, primumque in Belgium transfretauit, & hinc in nostris etiam oris infantum cunas occupavit: hodieque nonnullis Germaniae

8 DISSERTATIO IN AVGVRALIS

niae in locis adeo frequens est, vt forte ipsi magnae
Britanniae non cedat.

II.

Est autem affectus hic infantibus proprius, ita
quidem, vt frequenter eo corripiantur morbo a sexto
mense post partum ad sesquiannum; frequentissime
autem a sesquianno ad finem secundi anni cum dimi-
dio infestentur: teste quotidiana experientia.

III.

Origo nominis, quo designari solet a medicis
hicce affectus, a Graecis repetenda est. Graecis enim
ῥάχης Spina dorsi & ράχης μυελός Medulla spinalis dicitur,
atque inde vocabulum *ράχητις*, quod recens formatum
est, item *νόσος τῆς ράχης* *morbis spinae dorsi* generatim
denominare videtur quemcunque morbum spinae
dorsi. Cum autem in hoc affectu infantili medulla in
spina a multis pro parte affecta primaria judicetur,
quod etiam a GLISSONIO a) asseritur, vel saltem spi-
na in hoc morbo valde affligatur, speciatim ei hoc
tributum nomen fuit, vt *Rhachitis* appelletur. Est
enim, mea quidem sententia, spina dorsi seu medulla-
ris inter partes hoc morbo primum affectas princeps,
eoque non immerito inde nomen traxit. Atque hanc
denominationem Angli quoque videntur sequi, qui
hunc affectum *the Rickets* appellant. BONNETVS in
Thesaur. Med. Pract. b) tabem pectoream vocat, vti &

BEO-

a) Tract. de Rhachide pag. mihi 5.

b) Tom. III. Lib. V. p. 671.

BEOTIVS, teste Lentilio, Miscell. P. I. p. 15. sine dubio propterea, quod pectus valde coarctatur. Galli hunc affectum *la chartre*; Batavi, *den Lenden-vang*; Germani vero, quia affectus hic olim eis fuit ignotus, & in Anglia primum recte innotuit, & descriptus est, eum a patria denominant, dum *morbum Anglicum, die Englische Krankheit/* vocant.

IV.

Inconsueta & mirifica signa ac phaenomena, quorum quaedam in aliis morbis vel plane non obseruata erant, quaedam vero similitudinem aliquam cum aliis morbis habere videbantur, medicis, indole huius affectus nondum perspecta, varias sententias, cum vera tamen indole huius morbi haud conuenientes, proponendi occasionem praebuerunt. Hinc alii hydrocephalum esse putarunt: alii speciem cachexiae, alii scorbutum, alii tabem, alii dentitionem difficilem, alii vermium effectum, alii aliud genus morbi dixerunt. Quia vero eiusmodi affectus successu temporis cum hoc morbo complicari solent, illi non tam ut caussae reputari queunt, quam diuersi effectus ex una caussa producti, secundum axioma philosophicum: unius caussae plures possunt esse effectus.

V.

Vt vero recte procedamus, veramque ideam huius morbi animo concipiamus, historias & obseruationes ab eruditissimis Medicis relictas, tam in corpore viuentium externe, quam in mortuorum interne

B depre-

IO DISSERTATIO IN AVGVRALIS

deprehensas referamus oportet. Quod ad externam igitur formam attinet, membra haud proportionata deprehendimus in infante eiusmodi morbo affecto. Caput enim valde magnum exsistit, facies habitior, ingenium aetatem saepe superat, abdomen intumescit, pectus vero angustatur, & cartilago ensiformis in altum surgit, pectoris gallinae formam repraesentans. Reliquea vero corporis partes externae, praesertim musculofosae, flaccescunt, cutis etiam laxa & flaccida appetet; quam plurima contra ossa incuruata sunt, ut tibiae & spina dorsi, quae vel introrsum, vel extrorsum incuruatur, & circa articulos praesertim manuum ac pedum nodi & prominentiae visuntur. Insuper respiratio est difficilis cum stertore, & aliud constipatio, quandoque vero eius fluxus affligit, tandem solutio & torpor omnium partium sequitur, ut pendibus vix amplius insistere, & caput sustinere queant. Dentes quoque tardius & difficulter erumpere solent in nonnullis, sed breui post eruptionem nigri evadunt, corrumpuntur, postea vacillant, atque erosio, excidunt, & ut infantes difficulter loqui discant, caussam praebent. Quidam valde sunt voraces, alii continuo vagiunt, & plerique parum crescunt.

VI.

In sectione infantum demortuorum corporis viscera abdominis oculis insipientium satis magna & sana se offerunt. Hepar valde magnum est, & cum ventriculo & intestinis in maiorem, quam in sanis, molem assurgunt: mesenterium strumosum & glandulis maioribus scirrhosis impletum: pulmones infarcti

Qui materia purulenta, vel sanguine grummoso cruenta cernuntur, saepissimeque pleurae adnati sunt: cerebrum vero nisi mole naturali excedens, non peccat; attamen principium spinalis medullae solito durius deprehendi, cum alii notarunt, tum etiam D. Praeses ipse in sectionibus talium cadaverum aliquoties observavit.

VII.

Breuiiter expensis iis, quae ad nominis historiaeque rationes pertinere videbantur, ad rem ipsam nunc venio, & DEFINITIONEM huius morbi infantum proprii exhibeo sequentem. *Est nimirum Rhachitis nutritio inaequalis, qua partes aliae vel non sufficenter, ut marcescant, aliae vero plus satis nutritae iusto maiores redundunt, ab humoribus crassis, viscosis, principium medullae spinalis & nervos ex medulla spinali prodeunt, obstruentibus, oborta.*

VIII.

Genus igitur nostrae definitionis constituit nutritio inaequalis. Neque enim aliquis cogitet, nutritiōnem penitus esse abolitam: nam sic vita constare non posset, sed quod nec recte ordineque fiat, nec recte fieri queat. Quod recte non fiat, id satis ac sufficenter ostendunt phænomena huius affectus: cum aliae partes plus nutrimenti recipient, quam ad ordinariam nutritionem necesse est, eoque in molem iusto maiorem ex crescunt; aliae vero econtrario nutrimento carere cogantur, hinc extenuantur flaccescant & marcescant.

B 2

IX. San-

IX.

Sanguis autem, qui per arterias ad partes, ut caussa nutritionis primaria aduehitur, satis est laudabilis, id quod partes quaedam bene nutitae demonstrant, licet serum sit viscidius. Hinc praeter sanguinem aliud adhuc quid in caussa esse debet, cur nutritio recte fieri non queat. Atque hoc exinde fieri arbitramur, quia illud ipsum, quod sanguinem ad nutriendas partes idoneum reddit, spiritus puto animales sive liquidum nerveum, ei denegatur. Cum enim a piuotis, crassis, viscosisque humoribus medullam spinalem, tanquam viam regiam spirituum obstructam esse credamus, influxus sufficiens eorum ad partes fieri non potest: deficientibus autem spiritibus nulla agglutinatio partium, quae ali debent, sequitur.

X.

Bene cum dictis conspirat, quod secundum *Mangetum* Rhachitis dicatur esse morbus, ex inaequali succi neruosi seu spirituum animalium dispensatione productus: ex quorum defectu aliae partes ut marcescant, ex abundantia vero eorum aliae, ut maiorem acquirant molem, redundat. Proxima hic caussa denominatur et marcoris, et excrescentiae: cuius vero rationem a medulla spinali repetendam diximus.

XI.

Morbum rhachitidem esse facile demonstramus, licet: quia infantes hoc affectu correpti ad exercendas actiones, quae ad vitam et sanitatem necessariae

sariae, sunt inepti. Sine nutritione autem corpus huma-
num vitam degere non potest. Cum enim quo-
tidie humores corporis ex poris aliisque ductibus ex-
cernantur, et in auras abeant, necesse est, ut defe-
ctus eorum aliis novisque restituatur. Restitutio au-
tem fit per nutritionem, et si haec vitiatur, etiam in
periculo sanitas, ipsaque vita est. Actionem vero
nutritionis in hoc affectu laesam esse, vel illud nobis
demonstret Phaenomenon: dum videmus, quasdam
partes marcescere et atrophia laborare, quasdam ve-
ro in maiorem molem excrescere; mala igitur &
inaequalis distributio, et assumptio nutrimenti in caus-
fa esse debet. Proxima autem materia nutritionis
est sanguis, & speciatim huius serum, quod hoc in mor-
bo satis alias laudabile existit, ceu dictum est; licet
paullo sit viscidius: quia aliae partes bene se haben-
tes, et in maiorem molem excrescentes, satis id os-
tendunt. Nihil igitur reliquum est, in quod caussam
conferamus, quam liquidum nerveum sive spiritus
animales: quibus cum ingressus ex medulla spinali
ad partes nutriendas a viscosis pituitosisque humoris-
bus occlusus fit, vigorem debitum sanguini fibrisque
partium tribuere non possunt; quo fit, ut partes,
quae a neruis, ex medulla spinali prodeuntibus, spi-
ritus accipere deberent, marcescant, atque debili-
tentur; e contrario vero, quae spiritus ex neruis cal-
uariae exeuntibus acquirunt, bene nutriantur, imo
in molem iusto maiorem excrefcant.

XII.

Partem igitur affectam, seu subiectum huius morbi, me iudice, constituit medulla spinalis, quae per annulos vertebrales descendit; deinde nerui ex illa prodeuntes, partesque membranosae ac musculosae, quae nerois istos recipiunt. Primis enim initiosis huius morbi absuntio partium membranosalium et musculosarum, quam impotentia motus sequitur, atque laxa et debilis spinalis medulla cum nerois prodeuntibus inuenitur: quae omnia satis has partes affici ostendunt. Hinc neque cerebrum aut cerebellum, neque hepar, neque pulmones, ut morbi primaria sedes vel subiectum consideranda erunt.

XIII.

Ad CAVSSAS huius affectus progredior: quarum notitia tam ad solidam eius cognitionem, quam ad bonam curationem magnopere necessaria est. Proxima igitur ad quam omnes reliquae respiciunt, medulla spinalis, eiusque tubolorum nerueorum inde prodeuntium aliqualis obstructio recte iudicatur: qua obstructione a viscosis pituitofisque humoribus proueniente, animales spiritus impediuntur, ne in partes nutriendas recte influere, vel eas irradiare: queant. Est enim spinalis medulla illa via regia, qua spiritus animales ad partes nutriendas abeunt; in hoc vero affectu quia occlusa & obstricta est, nutritio etiam non recte procedit. Spiritus enim animales subtilissimae sunt sanguinis particulae, quae in corticali cerebri et medullae spinalis substantia a sanguine separantur, de-

ill.

inde in spiritus exaltantur, et per substantiam medullarem, corpus callosum, medullam oblongatam, in nerois et medullam spinalem fluunt, illosque sensibus motui et nutritioni peragendis aptos reddunt. Non quidem omnis spirituum animalium influxus impeditus est, quemadmodum in paralyticis fieri solet, quia aliquis adhuc sensus, motus et nutritio supereft; sed ex parte tantum, dum influxus sufficiens denegatur. Conspicimus ideo, quod partes, quae nerois ex spinali medulla habent et spiritibus animalibus destituuntur, flaccescant et debilitentur; contra autem, quae a cerebro et cerebello nerois deducunt, abunde nutriantur, maioreque figura et dimensione gaudeant. Quod autem spiritus ad nutritionem pertineant, non esse negandum existimo; quia ligato vel disiecto nero nutritio partis perit, neque tamen, ut Angli nonnulli existimant, solos eos nutritionis munus absoluere censeo; quia huius succi non sufficiens effet copia, ad omnes nostri corporis partes nutriendas, ligataque arteria nutritio quoque pereat. Quare sanguinem et spiritus cauſas socias esse credo nutritionis: ita tamen fortasse, ut spiritus magis tanquam cauſa efficiens nutritionis, quam cauſa materialis considerandi sint. Partibus enim nutriendis tonum conciliant, atque, ut partes sanguinis rite attenuentur, ad nutritionem aptae et ad agglutinationem idoneae fiant, efficiunt. Sanguis enim recte fluit, et per corpus distribuitur; propter spirituum autem denegatum influxum partes nutriendae particulas sanguinis recipere non possunt. Cerebrum enim et cerebellum spiritus animales rite
prae-

praeparant et separant beneque suo muneri praesunt, quod ingenium illorum infantum felix, faciesque et aliae partes, quarum spiritus ex cerebro vel cerebello proueniunt, bene se habentes, satis ostendunt. Sola igitur obstructio spinalis medullae ut caussa praecipua & proxima huius morbi iudicanda est.

XIV.

Plerique etiam auctores, qui de hoc malo litteris aliquid prodiderunt, obstructionem spinalis medullae, ut caussam primariam & praecipuam amplectuntur, atque sectiones anatomicae id confirmare videntur. GLISSONIVS autem, qui primus hunc morbum curatius descripsit, putat, caussam huius morbi esse intemperiem quandam frigidam & humidam partibus innatam; at haec frigiditas & humiditas, quae se exserunt hic in partibus, non ut causa, sed ut effectus potius considerandae sunt. Calorem enim, quem vulgo innatum vocant, in sanguine quaerunt; sauginem autem satis bene in hoc affectu se habere iam probauimus: frigiditas hinc partium non a calore sanguinis innato hicque deficiente dependet; verum quia medulla spinalis obstructa est, nerui inde prodeuentes, qui spiritus partibus deberent afferre, eos propter obstructionem non aduehunt, eoque defectu frigent partes. Frigiditas autem humiditatem in corpore producit, dum transpiracionem minuit. Igitur frigiditas & humiditas hic non innatae, sed praeter naturam accidunt.

XV.

XV.

Quaecunque viscositas, crassities & tenacitas lymphæ ex sanguine viscido acidoque enata, se versus spinalem medullam convertens, eamque obstruens, ad CAUSAS MEDIATAS AC REMOTIORES referri potest. Si autem lympha vappescens seu humores acidi, coagulantes, neruis sese insinuant, eorumque subtiles meatus obstruunt, impediunt, quo minus spiritum animalium motus fiat, ac proinde humorum agglutinatio, eoque & nutritio aequalis frustretur. Serum enim in hoc affectu vitiari, corrumpi vel stagnare, patet inter alia etiam ex mesenterii glandulis maioribus induratis, strumosis scirrhofisique, & abdomine tumido, dentiumque frequenti carie siue corruptione.

XVI.

Imprimis autem parentum plus minus morborum character haereditarius, & hinc proueniens peruersa infantum nutritio, primarius fere fons est, vnde infantum morbi plerique scaturiunt, & subinde toto vitae cursu pertinaciter aegros affligunt. Atque hinc huius etiam mali originem infantes saepissime ex utero matris accersunt, quod post partum per errores in rebus non naturalibus promouetur, vel etiam interdum de nouo producitur: quapropter morbus hic saepe ad classem morborum haereditariorum non male refertur.

XVII.

Causae, quae ex utero originem repetunt, vel in ipsa conceptione, vel tempore gestationis cum infantibus

C

tibus communicantur, & ex vtriusque parentis dispositione morbosa oriuntur. A parte patris vero maxime *vitiosum semen*, ex quo morbi haereditarii scaturiunt, accusandum est; a parte matris vero *impurus ac vitiosus sanguis* foetum nutriendis, qui vel ex viscerum morbosa constitutione vitiosus & depravatus existit, vel inordinata victus ratione tempore gestationis talis redditur. Sanguis autem & semen sunt principia futuri hominis; qualis vero horum est dispositio, talem etiam dispositionem futuro homini concedunt. Quamuis autem non negandum, semen scorbuticorum vel lue venerea affectorum marium in causâ esse posse, ut hoc affectu corrupti infantes generentur. Tale enim semen scorbuticorum, ob saluum vitiosorum copiam & peculicarem corruptionem in lue venerea, talia quoque stamina ad eandem dispositionem ponit in infantibus. Attamen vitium hoc magis in affecto matris sanguine, quam in semine patris quaerendum esse existimo. Etenim matris sanguine foetus continuo nutritur; qualis autem sanguis est matris, talis quoque nutritio foetus. Crassis itaque ac viscosis atque pituitosis aut acribus particulis turgens sanguis matris, tales particulæ etiam foeti tribuit, causamque mediatam inducit.

XIX.

Impurus autem talis vitiosusque matris sanguis *a viscerum morbosa constitutione* existit, si nempe obstructa sunt, & munus suum purificandi sanguinem non recte absoluunt; scoriae enim, a sanguine non separantur.

separatae ac purificatae, viscosum, crassum atque stagnantem reddunt illum. Omnes itaque matres, quarum obstructa & corrupta sunt viscera, vti sunt foeminae scorbuticae, hypochondriacae & cachecticae, talem sanguinem etiam cum foetu communicant, & ita saepius matres infantum hoc affectu laborantium fiunt.

XIX.

Deinde etiam *improba vietus ratio*, qua gestationis tempore vtitur, impurum tales ac viscosum matris sanguinem generat. Imprimis ciborum multorum, viscosorum, crassorum, acidorum, ac dulcium abusus: quae omnia propter viscidum vel acidum copiosius, quod in se habent, humores crudos, viscidos, parumque defecatos, atque multis acidis & viscosis particulis impletos efficiunt, quae deinceps foetui suppeditantur, eumque ad hanc labem disponunt.

XX.

Huc etiam pertinet *granidarum mollities*, vita sedentaria nimisque otiosa quarundam & frequens cubatio. Valde enim errant nonnullae, putantes, foeti bene consuli hac quiete, & a motu abstinentia. Singulare hujus generis exemplum Prænobiliss. D. CAULITZIUS Senior, longo rerum vsu experientissimus, Archiater Anhaltinus & practicus Quedlinburgensis celeberrimus, mihi narravit, quod obseruauit in nobili quadam matrona, quæ tempore grauiditatis

20 DISSERTATIO IN AVGVRALIS

tis vinum & alia potulenta calefacentia, omnisque generis cibos noxios iniurgitauit, & continue in lecto decubuit, sine omni motione corporis, & infantem Rha-chitide laborantem in lucem edidit. Nam et si omnis motus nimius ac vehementior grauidis noxius est, & abortus metum iniicit; motus tamen moderatus, multas ob rationes magis concedendus ac suadendus, quam dissuadendus est grauidis. *Terror* etiam ad cauissas mediatas referri potest; quemadmodum grauida quædam aspectu mendici cuiusdam manibus pedibusque mutilati, terrore perculsa, infantem rha-chitide monstrosa laborantem, in lucem edidit: qua de re vid. Ephemerides Nat. cur. Dec. III. an. IX. & X. ob serv. 233. p. 413.

X XI.

Hic coñodum inuenit locum quaestio: *Cur Anglicis in regionibus, & quidem locis australibus eius & occidentalibus magis, quam septentrionalibus regionibus, morbus hic endemius, familiaris existat?* Sæpius laudatus Glissonius a) accusat aerem frigidum & humidum, in primis autem diuturnam ac securam pacem Angliae regionibus tunc temporis concessam, qua familiae ditiores otio se dederint, & propter opum abundantiam voluptatibus indulserint, vitaeque delicatioris genere fese corruerint. Quod autem australes & occidentales regiones præ ceteris magis hoc affectu affligantur, cauissam refert ad vitam voluptuosam, qua septentrionales superant. Et certe haec sententia a vero non abhorret. Aër enim humidus ac frigidus corpori & neruis

a) Tract. de Rhachit. p. 244, & seqq.

neruis non solum inimicus existit, sed etiam obstru-
ctiones, humores viscidos & pirituosos reddendo, in-
ducit. Quoniam autem Anglia mari vicina est, par-
ticulis humidis frigidisque, quas mare exhalat, im-
prægnatur aër, nebulosam & pluviostam temperiem
constituit; cui deinde admiscentur vapores carbonum
fossilium, quibus Anglia copiose vtitur, qui crassis &
impuris suis particuliscorpi humano varias noxas
inducunt. Pax autem diuturna, etsi optima res est,
quam omnes poscimus & optamus; attamen prauus
hominum culpandus est mos, qui pace & otio, quæ
Deus ipsis fecit, ad voluptratem abutuntur. Quod
autem otiosum & voluptuosum vitae genus hominum
humores corrumpere & talem morbum producere a-
ptum sit, casæ pauperum & rusticorum ostendunt.
In his enim sanos plerumque robustosque infantes,
nec vltum ferme nostro affectu afflictum inuenimus.
Ad ditiores vero familias si nos conuertimus, longe fre-
quentius rhachitide laborantes, infirmioresque ut-
plurimum infantes videbimus. Pauperes enim &
rustici, paucis contenti esse coguntur, simpliciori &
parciore vietu vtuntur, laboribusque exercitati sanos
bonosque humores ac totius corporis robur fibi com-
parant. Ditiores vero, se cibis potibusque delicatio-
ribus obruentes, desidiae & otio indulgentes, debi-
les fiunt, robur corporis perdunt, & humoribus cru-
dis viscosis atque acribus se implent. Pars iraque An-
gliae australis & occidentalis, cum fertilitate & o-
mnium rerum abundantia septentrionali antecellat,
magis quoque illius, quam huius regiones malum,

C 3

de

22 DISSERTATIO IN AVGVRALIS

dē quo nobis sermo, infestat. Et cum desidia & luxuria alias & nostras etiam regiones occupaverint, mirum haud est, hunc affectum, olim incognitum, nunc etiam, & quidem satis frequenter Germanorum corpora affixisse, & non solum divitum; verum etiam pauperum infantes, sicuti hic Helmstadii & in vicinia varia prostant exempla, a D. Præside mihi indicata, corripere.

XXII.

Quod fere morborum cauſis commune est, eas diu, si non irritentur, saepe in corpore latitare posse, priusquam erumpant; hoc etiam nostro morbo, ex cauſa maxime haereditaria orienti, accidit. Observaciones enim testantur, quod infantes recens natī rarissime statim a primo natali die hoc affectu afflīti nascantur, sed aliquod demum mensibus post partum in hunc morbum incident. Hinc, praeter cauſas in vtero materno iam existentes, accedant oportet etiam cauſae post partum, quae vel connatam illam dispositionem actuent, vel de nouo hunc morbum producant. Ex clasfe non naturalium rerum hae repetendae erunt, quas inter, vt supra diximus, aér, potus & cibus primum habent locum: quae tria infantibus, si recte se non habent, magna mala concitare possunt.

XXIII.

AER autem frigidus, humidus, nebulosus ac pluuiosus, infantibus valde noxius est; quia tales etiam

iam particulas humoribus in corpore tribuit, si nempe infantes tali aëre vescantur, vel saepius ei expellantur: nam sanguinem inspissat ac viscidum reddit, motum humorum retardat, poros constringit & occludit, atque sic transpirationem seri supervacui immunit, partes sanguinis actiucas deprimit, ferosarum ac pituitosarum partium abundantiam creat. Quam ob caussam, notante GLISSONIO p. 193, circa veris principium aér maxime idoneus est, ad hunc morbum producendum. Loci itaque maritimi, humidi, paludosī & pluviis imbribusque obruti, ob talium particularum abundantiam, occasionem infantibus in hunc incidendi morbum, praebent. Huc quoque referendus est aér nebulosus, vaporibusque noxiis impletus, ut in Anglia ob aërem marinum & carbonum fossilem usum contingit: quippe qui vapores & exhalationes non solum cum humoribus communicantur, sed nervis etiam atque pulmonibus valde inimici sunt, eosque obstruunt. Eandem ob rationem *cubicularia infantum humida & frigida* ad hunc morbum producendum multum quoque conferre possunt.

XXIV.

Aërem excipiunt A L I M E N T A , tam solida, quam liquida, quae generationi huius morbi diuersimode inferiuntur, dum vel quantitate, vel qualitate peccante ingeruntur. In quantitate peccatur, si infantes cibo & potu obruuntur, & quasi infaciuntur, praesertim si ad quemuis eiulatum os eorum pulte, lacte, alioue cibo clauditur; quae copia alimentorum,

rum, quia concoqui nequit, digestionem laedit, unde in ventriculo cruditates relinquuntur pituitosae, putridae, acres, quae humores, si intrant, eos viscidos, acres, corruptos & pituitosos atque ad obstructiones neruorum idoneos reddunt. Qualitas autem alimenterum noxia humoribus vitium afferit, si cibo aut potu nutriuntur, qui viscidis, acidis, crassis & pituitosis particulis abundant. Haec enim alimenta, a teneris infantibus difficulter aut vix digeruntur, unde similes rursus cruditates oriuntur. Quicquid autem in prima concoctione vitiatur, consensu veterum, nec in secunda, nec in tertia emendatur. Talia alimenta sunt, caseris, carnes fumo induratae, saleque conditae, panis calens furno recens extractus, placentae & farinacea pleraque non fermentata: ita quoque omnia pinguis, dulcia & saccharo condita, nimia praeferit quantitate assumta; lac quoque nimis pingue & viscidum nutricum, cerevisia feculenta, acida, & vinum largius datum: quae omnia infantibus valde noxia sunt, eorumque humores corrumpunt. In primis vero infantes etiam vitio nutricum rhachiticos fieri posse credo; praeferit si scorbuto vel morbo venereo, cachexia, tabe, aliave prava corporis constitutione laborant.

XXV.

Nec omnino nihil ad hunc morbum conferunt affectus animi, somnus & vigiliae, quies, excreta & retenta. Affectus enim, seu animi pathemata, turbant motum spirituum, influxumque eorum impediunt. Somnus nimius sanguinem crassiores reddit, cere-

cerebrumque humoribus viscidis opplet. *Quies nimia* flaccidum & imbecillum reddit corpus, excrementa cumulat, caput reddit torpidum, atque ita ad hunc affectum disponit, nam secundum illud: facile corrumpuntur, ni moueantur aquae; ita eodem modo sanguis limosus, viscidus & acidus fit, verbo, lentescit, & vappescit vna cum sero, & ad obstrukiones fit idoneus. *Excreta & retenta* si debito modo non respondent, non exiguum addunt huic affectui pondus; nimis enim adstricta aliis flatu cumulat, abdomen distendit, coctionem impedit, cruditates inducit, & sanguinem aequem ac lympham acrem ac putridam reddere potest. Si vero nimis fluida & aperta sit aliis, succus nutritius cum spiritibus profunditur: unde sanguis reliquias inspissatur, nervi obstruuntur, & corpus marcescit. Pluribus de hisce legi potest Glissonius.

XXVI.

Cognitis caussis adhuc *phaenomenorum singulorum perlustratio* supereft, quae intimorem huius morbi cognitionem aperiet. A capite si incipiamus, valde id magnum se nobis repreäsentat, vis ingenii aetatem superat, faciesque habitior ac plerumque viuacior est. Cum enim in capite non occlusae sint viae, siue nervi, quibus spiritus ad partes dispensantur, succus etiam nutritius copiose adsit, aliter fieri non potest, quam vt, impedita via in spinae medullam, ii tanto copiosiores in capitibz partes influant: unde in magnam molem caput excrescit, faciesque viuacior conspici-

D

26 DISSERTATIO IN AVGVRALIS

Ipcitur. Spiritus enim animales, qui alioquin in spinalem medullam maximam partem consumuntur, dum propter ejus obstructionem influere in eam non possunt, ex magna hac copia spirituum in cerebro remanentium, acutior redditur vis ingenii.

XXVII.

Sub capite vero collocatae partes, ut collum & reliquae externae musculosae, flaccescunt, ita ut caput erectum servare, brachia attollere, pedibusue insisterne nequeant. Cutis etiam & caro laxa & flaccida appetat, tantaque debilitas partium omnium externarum, & speciatim etiam spinae dorsi sequitur, ut corpus sustinere non possit. Hae igitur partes, quae ex spinalis medullae prouenientibus spiritibus nutritionem suam nancisci alias solent, ob eius obstructionem ea carere nunc debent: vnde necessario consequitur, ut illa membra atrophia corripiantur & flaccescant: atque ex eadem etiam caussa tandem debilitas & eneruatio totius corporis sequitur; sic ut pedes & brachia saepe instar ossium fractorum hinc inde labantur, siue vacillent, quando infantes mouentur, quod vulgus effari solet, die Glieder hummelen ihn nur so hin und her / als ob gar keine Kraft darinnen wäre: quemadmodum duos tales infantes intra triduum, eo ipso, dum haec prelo committo, tempore, in aedibus D. Praefidis vidi.

XXVIII.

Porro etiam ossa saepe incurvata in hoc morbo obseruari solent, praesertim autem tibiae & quandoque etiam

etiam cubiti; interdum etiam spina dorsi vario modo contorta apparet; costae in illa parte, vbi cum sterno connectuntur, nodosae sunt, articulorumque ossa circa epiphyses, præsertim radii & ulnae prope carpum, protuberantia eminent. *Dolaeus* hanc incurvationem osium pro signo pathognomico vendit a), attamen in omnibus non reperitur. Vnde autem haec curuatio ossium oriatur, diuersae sunt eruditorum sententiae. Nobis imprimis arridet Clarissimi quondam Londinensium medici, *Mayouii sententia* & qui eum secuti sunt, *Dolaei & Mangeti*: ex quorum hypothesi phaenomena circa incuruationem osium se exerentia optime deduci atque explicari posse censeo.

XXIX.

Eruditissimi enim hi viri sustinent, ossa non ad partes affæctas respectu nutritionis esse referendas: satis enim & sufficienter vti in sanis nutriuntur, cum vel sanguis solum ad eorum nutritionem sufficiat. Huius sententiae veritatem probant exiguus neruorum numerus ad ossa abeuntium, vel plane eorum defectus, quem *Manetus b)* ex sensu in ossibus defectu non male deducere est conatus. Succus igitur neruofus, seu spiritus animales, nullum commercium vel saltem exiguum cum ossium nutritione habent, nec ossa eis indigere videntur. Quantitas igitur sanguinis sufficiens, vt crescant ossa, augeantur, maioraque reddantur, efficit. E contrario ligamenta & musculi propter defectum spirituum

D 2

anima-

a) in Encyclop. Med. citat. p. 442.

b) Biblioth. Pract. lib. XV, cap. de Rhachid, p. 432.

animalium ad eorum nutritionem necessariorum, minus crescunt, iisque omnium minime, quorum nervi maxime obstructi. Autem itaque ossibus, muscularis vero & ligamentis, his alligatis, augmentatione sufficienti carentibus, longitudinem suam debitam acquirere non possunt, brevioresque fiunt, hinc dum ossa a musculo uno vel pluribus non accrescentibus in altero latere detinentur, ut recta se extendere non valeant, necessario ossa incuruantur. Clarissimum *Mayouii* simile, quo usus est, sententiam nostram illustrat. Si enim arbori tenerae & crescenti chorda superius & inferius firmiter alligetur, & in palo quodam in terra firmetur, nullum dubium reliquum est, quin sensim crescendo dicta arbor incuruetur.

XXX.

Glissonius hanc curuationem ossium ex inaequali ossium laterum nutritione vel appositione particularum nutrientium deducere est annis, quod nempe unum latus altero magis nutritatur: Osque comparat cum columna, tribus lapidibus sibi invicem impositis, exstructa, & ab omni latere perpendiculariter erecta; si igitur a dextro latere immittatur cuneus inter lapides duos inferiores, supremus certe lapis inclinabitur ad latus oppositum, angulumque efficiet, et si porro alium cuneum inter duos lapides superiores impuleris, amplius adhuc idem inclinabitur, fietque aliis talis angulus. De quo vid. eius tract. de Rhachit. p. 140. Vti itaque se habet cuneus ad columnam, ita etiam hic se habere nutritionem ad os-

um

um latera, putat. Ad sententiam suam probandam, frictiones & linimenta ex methodo medendi huius affectus usitatas adducit, existimans, concava a medicis fricari, eoque nutritionem lateri huic deficientem augeri. Si autem consideramus, quod sanguis, a quo ossa nutrimentum accipiunt, non minus in hoc affectu, quam infanis, copiosus adsit, aequaliterque dispensetur, nulla est ratio, cur alterum latus, altero magis nutriatur. Praeterea haec frictio a medicis, in concavis ossium lateribus, & non convexis instituta, videtur magis partes musculosas, quam ossa respicere: ut nempe spiritus in musculis deficientes aduocent, ut per illos nutriantur, & cum ossibus aequaliter crescant.

XXXI.

Sunt etiam, qui curiratem ossium ab eorum mollitie & flexibilitate oriri credunt: cuius sententiae subscribere videtur Petitus celeberrimus hodie chirurgus Parisinus, (a) qui tamen simul brevitatem masculorum concurrere cum Maiouio existimat; quam vero sine ossium mollitie aut flexibilitate fieri non posse profitetur. Existimat vero sanguini non inesse suas particulas salino-sulphureas, & propterea volatilitate sua carere, atque his deficientibus acrimoniam concipere sanguinem, & ad flexibilitatem ossa disponere. Talis autem flexibilitas, non reperitur & durities ossium eadem videtur, quae in aliis infantibus, hocce non laborantibus affectu.

D 3

XXXII.

a) *Traité des Maladies des Os.*

XXXII.

Incurvatione ossium exposita, nunc quoque de causis quare ossa circa extrema sive epiphyses saepe adeo protuberent & nodosa fiant considerabimus. Notum vero est ex anatomicis epiphyses ossium in infantibus adhuc esse cartilagineas, ideoque moliores quam os reliquum: hinc cum musculi, ut dictum est, non rite nutriuntur, nutrimentum copiosius per arterias ad ossa devehitur: quia vero nutrimentum largius in ossa influens facilius extrema molliora extendit, quam reliquum os, quia minus resistunt; hinc mirum non est, protuberantias has sive nodos in extremis potius ossium obseruari, quam in eorum medio.

XXXIII.

Incuruatio spinae dorsi ut plurimum fit modo retrorsum, modo ad latus dextrum, modo ad sinistrum: quod potissimum a laxitate ligamentorum vertebrae necantibus, flacciditate muscularum spinam extendentium, & pondere capitinis solito maioris, modo anterius, modo ad latus alterutrum magis tendentis aut ruentis prouenire existimo: a quo pondere capitinis spinam eodem modo incuruari suspicor, sicuti arbuscula a pondere supremæ ipsius parti appenso, quo tandem arbuscula in illud latus inflectetur, aut inclinabit, in quo pondus haeret.

XXXIV.

Pectus etiam angustum videtur ex nulla alia ratione, quam quia musculi costarum non crescentes
haud

haud permittunt, ut costae elongatae se dilatare possint; introrsum autem se infletere nequeunt, quia cor & pulmones obstant: hinc ob costarum partem cartilagineam sternum propellunt antrorsum & cartilaginem ensiformem eminentem efficiunt, angustum vero & acuminatum pectus reddunt; at nodi ab nutrimento abundanti in costis relinquuntur.

XXXV.

Ad reliqua signa, quae in hoc affectu se manifestant resoluenda, opus erit, ut inspectionem corporum ejusmodi infantum mortuorum instituamus. Ostendunt autem se nostris oculis in abdomen omnia fere viscera proportionem excedentia, & satis cetera fana: quod eandem rationem, quam de ossibus diximus, habere videtur. Viscera enim in abdomen sita neruos ab intercostalibus & pari vago, e cerebro prodeuntibus, accipiunt, & sanguine sufficienti gaudent, hinc ultra modum crescunt. Haec magnitudo viscerum, & imprimis maiori gaudens mole hepar, in caussa sunt, dum maius spatium in abdomen postulant, ut musculi abdominis, spiritibus ex medulla spinali denegatis, flaccidi fiant, & a mole hepatis expandantur, tensique euadant, & hac de re intumescentia abdominis exfurgit. Idem musculi abdominis costas pectoris inferiores deorsum trahunt, viscera autem maiora dia phragma sursum premunt, magna que inde angustia pectoris oritur. Pectus igitur in inspiratione se non recte extendere & ampliare potest: quo fit, ut non solum respiratio fiat difficilis, quam tussis sicca comitatur,

tur, lobique pulmonum pleurae accrescant, sed etiam sanguis in pulmonibus congestionem patiatur, corruptitur, & in humorem saniosum ac depravatum se conuertere incipiat: ex quo tandem stertor fere continuus, tussis, heclicorumque symptomata alia sequuntur, quae rhachitidem fere semper comitari solent, & propterea magis ut effectus, quam caussae, inconsiderationem veniunt.

XXXVI.

Perspicimus etiam interne *glandulas mesenterit maiores scirrhosus* esse: quod serum viscidum in hisce glandulis stagnare ostendit. Cum enim calor & tonus his partibus propter spirituum animalium defecatum non rite concedatur, serum his in glandulis facile stagnat talesque obstrunctiones & scirrhos producit. Aucta vero acrimonia ab hinc inde stagnantibus humoribus, & digestione tandem non rite succedente, flatus, fluxus alui, praesertim foetidus, sequuntur. Exemplum mecum communicavit antea laudatus D. *Caulitzius* pueruli, qui recens natus duos dentes incisores, qui nigri tamen iam erant, secum attulit, cum flacciditate & macilentia totius corporis: post annum vero rhachitis sese prodidit, qua etiam mortuus est.

XXXVII.

Hic quoque silentio non praetereunda est quaestio: *cur affectus hic infantibus solum proprius existat*, adulti vero hoc morbo non corripiantur, cum tamen hi aequae ac infantes obstructionibus neruorum obnoxii sint,

sint, sicut paralysis ostendit? Responsum autem facile erit, si consideramus, quod aetatis tenellae deliciator sit machina corporea, faciliusque hinc & grauius afficiatur: insuper dimensiones membrorum & partium ordinarias nondum acquisiuit, ossaque adhuc habent molliora. Adulti vero crescendi terminum iam absoluierunt, ideoque non ita mutari amplius illorum partes possunt, sicuti in hoc morbo in infantibus, praesertim osia mutantur, prout supra indicavimus. Aetas igitur infantilis hunc morbum sibi proprium habeat necesse est.

XXXVIII.

Discrimen ac diuersitas rhachitidis petitur vel a gradu, vel a duratione, vel a symptomatibus accedentibus. Ratione gradus, alia leuior, & adhuc sanabilis est; alia vero grauior, pluribus & vehementioribus symptomatibus stipata, curatu hinc difficilior, imo non raro insanabilis est & lethalis. Ratione durationis, alia est modo incipiens & imperfecta, alia confirmata. Symptomata vero coniuncta, plura atque graviora, ut immobilitas & flacciditas omnium partium, spinae ossiumque magna incuruatio, vehemens vel continua tussis, respiratio valde difficilis, alui fluxus & alia varietatem in hoc morbo efficiunt haud leuem: quibus magis vel minus ingrauescentibus, etiam affectus hic magis vel minus periculosus fit.

XXXIX.

Cum autem medico scitu necessaria sit PROGNO-
SIS, vt de euentu morbi recte iudicare possit, in vni-

E uersum

uersum sciendum est, morbum hunc curatu non a-
deo facilem esse, sed multos eo mori, praesertim si
non rite tractentur, aut legitimae curationi mature
subiiciantur: nam & hic quam maxime valet tritum
illud: *Sero Medicina paratur, dum mala per longas in-
valuere moras.* Inprimis morbus eo periculosior esse so-
let, quo citius a nativitate oritur: indicat enim hoc hu-
mores a primo principio iam intime corruptos, qui
talem characterem postea retinent, qui nulla medela
corrigi potest. Ceterum quo plura & maiora sym-
ptomata se ostendunt, eo periculosior etiam morbus
est. Nominatim vero si pulmones, quibus ob pe-
ctoris angustiam dilatandi spatium denegatur, scir-
rhosi ac tandem purulenti fiunt; & asthma cum gra-
uiori stertore suboritur, malum vix curationem ad-
mittit. Ita etiam quo maior debilitas superuenit, eo
magis periculosus est. Alias si infantes ante annum
quintum hoc morbo non liberantur, per totum vitae
spatium sunt deformes, debiles, parui, valetudinarii.
E contrario si ab aere aut viectus vitio rhachitis orta
est, item si diutius a partu infantes corripit, aut post
febres inuadit, si scabies eam sequitur, aut furunculi
hinc inde in corpore, vt D. Praeses obseruauit, sym-
ptomataque etiam ab vsu idoneorum remediorum
potius imminuuntur, quam augentur, si pedibus in-
sistere discunt multam spem, promittit reconualescen-
tiae. Sin autem cum aliis morbis in primis cum
phthisi, febri hectica, hydrope, coniuncta est, spes fe-
re omnis decollata est; similiter si diarrhoeam fortis-
orem comitem habet, elusis medicamentis exitium
por-

portendit. Si vermes iisque copiosi concurrunt, periculum etiam, obseruante D. Praeside, non parum augent.

XL.

Consideratis iis, quae ad morbi huius cognitionem sive theoriam pertinent, reliquum adhuc est disquirere, CVRATIO eius qualis instituenda sit. Cum autem affectus ex obstructione spinalis medullae neruorumque exeuntium a sero viscido ortum suum ducat, omnis cura in methodo medendi eo dirigenda est, vt obstructions pororum in nervis tollantur, & referentur, serum viscidum stagnans attenuetur & resoluatur, neruique denuo roborentur, ut aequalis rursus fieri queat spirituum animalium distributio, & debita omnibus partibus nutritio restituatur.

LXI.

Offerunt autem se Medico tres fontes, ex quibus in curatione huius morbi medicamenta desumere licet, chirurgiam, pharmaciam & diaetam puto, quae varia arma ad hostem hunc debellandum suppeditant. Ex fonte *chirurgico* nonnullis laudantur fonticuli intra primam & secundam vertebram excitati, vti & vesicatoria & fetacea: quae cum serum viscidum, medullam spinalem obstruens, revellant, euacuent & per stimulum spiritus allicant, bonum aliquem efficiunt quandoque ea producere posse existimo. An autem scarificatione aurium, cucurbitulis scarificatis, hirudinibus, venae sectione prope aures, quod non nulli

nulli commandant, auxilium sperandum, valde dubito. *Fricciones* autem pannis aut linteis calefactis spinae dorsi, capitis, brachiorum & pedum, vt spiritus alliciantur, & partibus debilioribus tonus viuidus restituatur, hoc in affectu bene se gerunt. Praeparantur etiam infantibus *thoraces* & *ocreae* ex osse balænæ, vel ferro, vt spinam incuruatam & prominentem tibiasque inflexas in naturalem formam restituant, si infantibus induuntur. Quinimo instrumentum chirurgicum inuentum est, quo mediante artificialis corporis suspensio instituitur, quod describit Joh. *Mayowius* in Tr. suo de Rhachit. Sed omnia haec medicamenta exiguo & ferme nullo peraguntur effectu, si non cauſa prius medicamentis pharmaceuticis sublata est.

XLII.

Ex *Pharmacia* igitur talia sunt medicamenta eligenda, quae ad spinalis medullæ neruorumque eius obſtructionem tollendam idonea sunt, quaeque ex claſſe cum euacuantum tum alterantium defumuntur. Cum enim hae obſtructions ab humoribus viscidis, crassis ac pituitosis ortum ducunt, omnia medicamenta, quae hos blande attenuant ac resoluunt, acrimoniam temperant & expellant, primasque vias euacuant & a ſaburra viscida acida liberant, concoctionemque ventriculi promouent, proficia sunt in hoc morbo. Initium igitur ab euacuantibus facendum esse censeo; inter quae primum locum obtinere arbitror lenia *purgantia*, quae cum tenera infantum constitutione proportionem habeant, vti sunt: rhabarbarum

barum, folia sennae, manna calabrina, aloës, puluis
ialappae, radix ireos florentinae, mercurius dulcis,
magnesia alba, syrpus, de cichor. cum rhabarb. sy-
rup. rosar. solutiu. &c. & ex his pulueres, linctus & e-
lectuaria composita: *Clysteres* quoque emollientes in
hoc effectu non contemnendi, praesertim vbi aliis
obstructa: quippe qui feces in intestinis stagnantes,
blande educunt. *Vomitoria* quoque interdum, in pri-
mis si ventriculus & pulmones pituitofis ac visci-
dis oppleti sunt sordibus, cum fructu porriguntur.
Ex quibus oxysaccharum vomituum Ludouici se ut
valde idoneum vomitorium praebet. Vel hic etiam
puluis praescribi potest; ut Tart. emetic i gr. 6. vel rad.
hypocac. gr. 6. cum paucō saccharo. Prosumt hic
quoque *diaphoretica*, si animus est serum vappescens
per foramina insensibilia cutis expellere, insimul il-
lud aliquo modo corrigere, torporemque humorum
& spirituum excutere. Adhibentur hunc in finem
volatilia & fixa, ut antimon. diaphor. lap. canceror. ppt.
cornu cerui philos. bez. martial. pulv. bez. Senn. An-
glic. Wedel. lap. bez. orient. sal viperarum, sal cornu
cerv. volat. *Tinctura bezoardica* Wedelii, mixtura sim-
plex rectificata, spiritus Corn. Ceru. fuligin. vel eboris,
liquor cornu cerui succinat. aliaque similia. Locum et-
iam hoc in affectu inveniunt *diuretica*, quae serofam
falsamque faburram per vrinam educunt, ac simul se-
rum minus fluxile, stagnans, & viscidum resoluunt.
Inseruiunt huic scopo optime salia plantarum, v. gr. ab-
sinthii, cichorii, cardui benedicti, iuniperi, genistae,
cum arcano duplicato, tartaro vitriolato, succino al-

VIIX

E 3

bo,

bo, cinnabari nativa mixta: praeterea arcum tartari liquidum cum liquore martiali datum, egregium hic est aperiens, tinctura martis cydoniata cum arcano tartari, item tinctura martis citrata vel temperata bonum promittunt effectum.

XLIII.

Ad alteram indicationem obtinendam medico eo nitendum laborandumque est, ut obstruētio medullae in spina tollatur, serum viscidum attenuetur, genus neruositum roboretur, spiritus in partes alliciantur, tonusque sive robur naturale restituatur. Huic indicationi in primis satisfaciunt alterantia, volatilia sive sale volatili oleoso pollutia medicamenta, quae neruos deobstruendo simul roborant, lymphamque corruptam corrigunt. Talia sunt, praeter modo laudata, spiritus lumbricorum terrestrium, spiritus salis armoniaci vinosus, anisatus, sassafratus & foeniculatus, aqua apoplectica, spiritus vini camphoratus, spiritus matricalis, rosmarini, lauendulae, essentia castori simplex & volatilis &c. quae non solum interne, sed etiam externe, ad frictiones spinæ dorsi & artuum magno usui esse possunt. Tandem tonum viscerum roborantia & concoctionis opus promoventia, necessaria sunt: ut essentia ligni aloës cum liquore martiali, balsamica dicta, essentia absinthii composita, elixir balsamicum Hoffmanni, essentia helenii, elixir pectorale Wed. &c. dolendum saltem, quod infantes, ut plurimum pleraque haec medicamenta interna uersentur.

XLIV.

§. XLIV.

Commendantur etiam hoc in morbo diuersa medicamenta, quae ob specialem partium minimarum texturam & proportionem hunc morbum *proprium curandi virtutem possidere putantur*, & sub nomine *specificorum* nota sunt. Inter haec valde laudatur ens *veneris Boylei* dictum. Cuius descriptio in auctoris Exercitat. de Utile philosoph. experimental. Exercit. V. inuenitur. Varia adhuc eiusmodi specifica auctores hinc inde commendarunt: v. gr. puluerem antatrophum Scretae, a *Lentilio* descriptum, radicem osmundae, filic. maris, apii, ebul. chin. ligni sassafras, guaiaci, herb. osmund. fol. salv. ceterach. beton. flor. anth. mac. croc. or. castor. lumbric. ex quibus varia remedia variaeque formulae praescribi poterunt: quae tamen omnia, nisi conuenienti methodo, dosi & tempore, praemissisque ac interpositis pro re nata idoneis euacuantibus atque roborantibus, parum vel nihil efficiunt.

§. XLV.

Agmen denique claudit DIAETA, tum specialis, quae vietu absoluitur, tum generalis, quae reliquarum rerum non naturalium obseruatione instituitur. Aer itaque sit serenus, non nebulosus, ac pluviösus. Venti australes boreasque gelidus, vtpote neruis inimici, vitentur. Viectus sit parcus & tenuis: *cibi* sint *εὐχυμοι καὶ ἐυπεπτοι*, facile in succum & sanguinem conuenti, & prae omnibus nimia repletio vitetur. Cruda, viscosa, fumo indurata, concocta difficultia, acida, leguminosa, flatulenta, quia obstructionibus an-

fam

sam dare queunt, exulent. *Lactatio* infantum non sit nimis frequens, nec ad quemuis eiulatum infants repetenda; Si enim lac priori nondum concocto nouum superingeritur, coagulatio eius atque cruditates necessario insequuntur. Vnde etiam nutrices promiscuam ingluuiem alimentorum serio evitent. Post pastum parum semenis anisi, carui, foeniculi manducent nutrices, horum enim vis balsamica & aromatica coagulationem lactis impedit, coctionem iuuat, & humores nutritios optime disponit. *Pultis* etiam ratio habenda: eaque vel prorsus iis non exhibenda, praesertim si nutrix lacte abundat; vel si hoc deficiat, praestat, omissa farina, ex pane triticeo exsiccato ac minutum contrito cum lacte & tantillo semenis anisi puluerisati pultes conficere. Iis, qui ab vberibus iam remoti sunt, *Potus* sit cereuisia bene cocta, defecata & tenuis. *Motus*, quantum fieri potest, instituatur, ut actuentur membra, & musculi tendinesque crebro nisi ad motum incitentur. Ita enim non robabuntur solum partes, sed discussis etiam halitibus vegetius exsurgit corpus, quod continua decumbendi segnities torpidum reddit. *Sommus* & *vigiliae* sibi inuicem respondeant. Nam somnus nimius cauissam morbi auget, serum inspissat, & spiritus torpidos reddit; vigiliae contra nimiae eosdem absumunt. Valeat proinde hic quoque illud Coi: *somnus* & *vigiliae*, si modum exceferint, malum. *Animi pathemata* ne exorbitent in nutricibus, praesertim terror, tristitia, vel ira, serio cauendum. *Exereta* & *retenta* suo respondeant officio, infantes iusto tempore & quantitate red-

reddant excernenda, quod si non fiat, aliud leni medicamento laxante, clystere emolliente vel suppositorio sui officii admonenda. Haec si rite obseruabuntur, de felici huius morbi, si sanabilis est, euentu non est dubitandum.

XLVI.


Denique adhuc methodum D. Praesidis addam, quam mecum communicauit, & qua plures iam tales infantes se restituisse mihi arffirmauit. Nimirum principio curationis singulo triduo, vel quadruplo, ad cruditates e primis viis euacuandas laxans et puluere ialapae cum dimidia parte mercurii dulcis per aliquod tempus exhibit: quia saepe vel vermes vel aliquid venerei cum hoc morbo concurrere existimat; vel si etiam hoc non sit, tamen saltem mercurius in attenuandis viscidis humoribus viisque obstrutis reserandis vtilem nauare posse operam iudicat: donecque aetati & viribus infantis accommodat. Post mensem vero simile laxans singulo octiduo semel tantum praebet. Diebus reliquis puluerem ex antimonio crudo, semine anisi, foeniculi, cinamomo & radice ari cum saccharo paratum, quotidie quater aut saepius assumentum iubet, quem infantes propter saporem haud ingratum, plerunque facile assument. Et si infantes tales a medicamentis in Essentiae vel Tincturae forma non abhorreant, sicuti quandoque tales reperiuntur, qui quicquid offertur, assument, praecepit, ut matutino & pomeridiano tempore cum infuso theae, vel veronicae semper guttas viij vel x assument vel Tincturae tartari, vel spiritus CC, vel Essentiae corticis aurantiorum

F.

rum

rum. In pastu roborandi & concoctionem promouendi
 gratia haustulum vini generosi, in primis canariensis,
 vel alterius bonaे notae ipsis porrigendum iubet, licet
 multi medici vinum reiicere soleant: & quia incedere
 non possunt, imo ex sententia D. Praesidis incedere non
 debent, antequam iis facile insistere queant, ne pedes a
 pondere capitum & abdominalis crassioris magis incur-
 uentur, donec mala haec magna ex parte praeterierint,
 a) motum tamen ipsis ad viscidum attenuandum &
 obstruktiones referandas, valde utilem & necessarium
 iudicat; hinc praecipit, vt continuo gestentur, variis-
 que modis moueantur & agitentur. In primis vero sua-
 det, vt curru infantili quotidie & saepius vehantur,
 eamque concussionem siue motum succusorum ipsis
 maxime salutarem cognouit. Subinde etiam balneo
 aquae calidae ipsis immittit, cui herbas nonnullas aro-
 maticas v.g. rosmarinum, saluiam, origanum, serpillum
 prius incoquit, ad humores viscidos fluidos reddendos,
 obstruktionesque referendas. Diaetam iubet esse tenu-
 em ac parcam, maximam partem ex iusculis omnis ge-
 nericis, temperatis aromatibus conditis, constantem, vi-
 tando nimiam satietatem, omniaque quae difficulter
 digeruntur. Si forte adhuc vbera fugant, nutricibus
 similia medicamenta, apta tamen dosi usurpanda,
 praescribit, & conueniens victus regimen iniungit:
 hacque methodo infantes rhachiticos melius plerum-
 que a se restitui affirmat, praesertim si in tempore cu-
 ratio instituatur, quam iactatis multorum ar-
 canis atque specificis.

a) Conf. D. Praesidis chirurg. Part. II. Cap. CLXXII. de pedibus curuis.





Artis apollineae dum, praestantissime BROKE,
TE gnarum & medicum Julia laeta videt:
Coccinea doctam frontem decorare tiara.
Gratulor haec meritis praemia digna Tvis.

gratulabundus scribebam
RVD. CHRIST. VVAGNER,
Phil. & Medic. D. Mathem. & Natural.
Prof. hucusque Pro-Rector.

Difficilem morbum, qui spinam torquet & artus
Infantum, docte Brokius explicuit:
A V G V S T O que die sacra bene disputat: ergo
Fortunam omnipotens *augeat ipse Tuam.*

*Faustum hoc augurium Nobilissimo
Candidato*

fecit

P R A E S E S.

Ars veluti quaeuis, sic θεον * habet Medicina
Prae reliquis, dudum vidit id Hippocrates.
Saepius eludunt morbi medicamina docta,
Fataque praeteniunt, iniiciuntque manum.
Vulgari lethale malum nunc pellitur herba,
Coeli namque salus huic reparatur ope.
Hoc est in Medico, morbo releuetur vt aeger,
Illi ad docta plus valet arte malum.

* Morhoff. Polyhist. To. I, L. I, c. XII, p. 121, sqq.

Vis coeli varie in Medica deprenditur arte,
Aegros vt statuit viuere, sine mori.
Hoc disces BROKI, cupies cum ferre salutem
Aegris; nec vero sic cadit artis honor.
Haec Tibi sit laudi, gradus & DOCTORIS honori,
Diuinam & videoas, cum facis, artis opem.

Hisce Nobilissimo Dn. Candidato Fautori & Amico suo
Honoretissimo, animitus gratulari, omniaque bona
fausta que simul ominari, & diuini Numinis gra-
tiam ac omnigenam benedictionem ulterius appre-
cari voluit,

D. MICHAEL CAVLITZ,
Conf. & Archiat. Anhalt

FElix prae multis est terra Britannica terris,
Cunctis quae diues rebus, & arte potens.
Sed tamen haud expers morbi, qui corpora vexat,
Atque Coi medicae postulat artis opem.
Est hoc nata solo non vna lues grauis aegris,
Quas inter nomen dura Rhachitis habet.
Infantum hocce malum docte perquiris, Amice,
Laurum dum meritam Iulia rite parat.
Gratulor hanc TIBI: sis felix in Apollinis arte,
Plurimus atque Tuum sentiat aeger opem.

Hisce Nobilissimo Clarissimoque Domino Doctorando
Fautori & Amico aetumatiissimo, de summis in
Arte Machaonia honoribus, quos rite expedit,
gratulari, eorumque successus felicissimos ominari
voluit, debuit

ALBERT. CONRAD. KAULIZ D.

SAnantem Medicum, (non fantem) postulat aeger:
Morbus enim Medicus garrulus alter erit.
Hinc Medicum faciunt ratio experientia doctum:
Libri illam firmant, vsus & hancce dabit.
Acquisivisti haec per libros atque per illum,
Vrbs quem Budaides Hippocratemve colit.
Doctoris titulum meritum nunc Iulia confert;
Ominor haud falso: prospera praxis erit.

*Hisce quod cognitus animi adfetus requirit,
gratulari voluit*

BERNHARD. HENR. PRILLWIZ.
Gymn. Quedlinb. Sub-ConR.

NVnc demum claris sese Tua gloria palmis
Exserit, & studio se meliore probat.
Nam Tibi praestantem formosus Apollo galerum
Destinat, & meritum iam suus ornat honor.
Quique salutiferas Phoebus Tibi tradidit artes,
Texuit ingenio splendida ferta Tuo.
Hoc pretium studii vigilatorumque laborum,
Haec tanti merces digna laboris erit.

*Praeclarissimo atque Doctissimo Dno. di-
spuranti honores Doctorales iam du-
cum promeritos ex animo gratulatur
ad*

omnia officiorum genera paratissimus

RVD. FRID. TELGMANN.

Credite, non uno se gloria tramite silit;
Ad laudes duplici nitimur ire via
Ille per arma ferox per & horrida vulnera palmam
Quærit, & Odrysi fulget honore Dei,

Illi clara favens fundit paeonia Pallas,
Dum meritis textit ferta decora cornis.
Tu meliori via laudes & præmia quæris,
Dum sequeris Clarii candida signa chori.
Et demum vigiles sequitur sua palma labores,
Altaque sublimis præmia mentis habet.
Nam Tibi pæclaras Pallas suspendit olivas,
Et Tibi iam meritum spondet amica decus.
Interea claris subscribunt numina cœptis,
Et Tibi felices advehat hora dies!

Hisce Praenobilissimo & Praeclarissimo Dno. Candidato
Fautori & amico suo æstimatissimo de honoribus
optime meritis gratulatur.

I. G. FISCHER.

Laertius lib. VI.

Arcesilaum dicere consueuisse refert:

Quemadmodum, ubi multae leges, ibi multum vitiorum:
ita quoque, ubi multi sunt medici, ibi etiam morbi sunt multi.

Aιολιηδεν ὁ ἀρχεσίλας εἰ πήμετερον
έξαδα δόμοις αιστυνελθῇ εἰνι χρονοῖς,
εισοραῶν ακτοῖν, καὶ δερκομένος τε ιατροῖς,
καὶ αὖτα ΒΡΟΚΙΑΔΗΝ, μαχανία ἔργα γεζοντα.
Οὐ μοι συνχρονεῖς, Φῆσει, τοὺς ποτὲ αἰεστας
εἶδον, Φαιρμακοῖς, κοπτούτες κῆδεα λυγέα.
ἔπεσκον θελεθῆναι γαρ νοσον αλλοτε πανερν
εν πολεστιν μακάρας αἰς πολλοὶ αλθεες εισι.

τῷ ευμαθεσατῷ καὶ ἐνγενεσατῷ ΒΡΩΚΙΩΙ
συγχαίρων ἐγένειν

ΙΩΑΝΝΗΣ ΓΕΡΑΡΔΟΣ ΟΤΑΓΝΗΡΟΣ.
περὶ τὰς ιατρικὰς καὶ Φιλοσοφικὰς
επιτήμας Φιλοπονῶν.

Sic tandem merito solertia fulget honore!
Sic celebres ornant laurea ferta comas!
Tu Tua praeclaris donasti tempora libris,
Et Tibi iam Pallas praemia digna parat.
Scilicet illustres Tibi Julia donat honores,
Et meritis spondet praemia digna Tuis.

*His PraeNobilissimo Domino Candidato
ad surgere voluit debuitque*

E. N. E. HESSE.
LL. Cultor.

NVnc Tibi solemnes praestantis industria palmas
Destinat, & studiis seruit amica Tuis.
Scilicet ingenuas prudentia culta per artes
Nobilis ingenii candida testis adest.
Perge! Tibi summos Pallas decernit honores,
In coepisque Tuis Phoebus amicus erit.
Phoebe Pater, clarus Tibi thura ministrat alumnus;
Annie, nec coeptum defere mitis opus.
Ecce salutiferas praestantis Epidaurius artes
Pandit, & innumeratas ipse recludit opes.
Hinc Tibi nunc castis mea mens ad surgere votis
Ardet, & ingenium tollit, A M I C E, Tuum.
Sic virtus divina viret! sic larga labores
Sors beat, & studiis adnuit alma Tuis!
Tu modo difficilem felici fidere cursum
Vice, nec incoepsum defere fortis iter.

Sed


Sed quid ego celsam moneo bene vincere mentem?
Vicit, & in portu iam Tua prora latet.
Nec supereft casta superos nisi mente precari,
 Vt dent ingenio praemia digna Tuo.
 Vt divina Tuo Pallas bene servit honori,
 Sic coeptis faveant numina prona Tuis.
Te superum bene servet amor, Tibi serviat aether;
 Sic Tibi, sic merito secula laeta fluent!

*His Praenobilissimo Domino
Candidato adplaudere
voluit*

FRIDERICVS KOEPKE,

M. S.





80 A 6421
f




Mr. Minus
verknüpft TA-20L

R

WZB
VD 17

Farbkarte #13



B.I.G.

URALIS MEDICA

51.

ITIDE

CHIATRO INDVLTV
E GRATIOSI ORDINIS
ACADEMIA JULIA

DE

HEISTERO
OM. PHYSIOLG.
FESSOR. PVBL.

DECANO
CÆSAREÆ REGIÆQUE
COLLEGA

RIS OMNI HONORIS
QVENDI

ENTIA
IEDICA HONORES
DOCTORALIA
RANDI

MAIORI

ONI EXPONET

DE BROKE

GENESIS.

R. S. clBcccxxv.
SVETIS.

ADII

INORRII, ACAD. TYPOGR.